

# HENRICI LORITI


GLAREANI, PATRICII CLARONEN

SIS APVD HELVETIOS, IN OMNEIS, QVAE QVI-  
dem extant, T. LIVII Patauini clarissimi historici decadas, annotatio-  
nes, cum eiusdem CHRONOLOGIA in totam Romanam historiam,  
nunc primū non sine scenore recognita. Cui BADII elenchus ad al-

phabetti ordinem deductus, non absq; lectoris fructu accessit. Postre-  
mo VALLAE iudicium de quibusdam apud Liuum lo-  
cis, ex quo eruditus lector, qua cura, qua dili-  
gentia autores sint legendi, fa-  
cile discere poterit.

D. ERASMVS Roterodamus cum Friburgi Brisgoe degeret, ac hæc Chronologia cum Lis-  
tio, in quem tum præfabatur, recens ederetur, in hæc uerba differat.

Adiuncta autem est huic editioni Chronologia HENRICI GLAREANI, ho-  
minis exquisitè multifariamq; docti, cuius indefatigabilis industria, nō solum hoc inclytū  
gymnasium Friburgense, uerum etiā totam hanc regionem, liberalibus disciplinis expolit,  
exornat, locupletat. Ea Chronologia cōmonstrat temporū ordinem, bellorum species, ac  
personarum nomina, in quibus haec tenus fuit mira confusio, scribarū ac sciolorū uitio in-  
ducta. Atqui hæc erat unica historiæ lux. Quod si hæc absit cynosura, cæca pror  
sus est in historiarū pelago nauigatio : & nisi hoc adsit filum, inextri-  
cabilis error inuoluit lectorum etiam eruditum, in his re-  
rum gestarum labyrinthis,



Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiest.

B A S I L E A E

A P V D M I C H . I S I N G R I N I V M

M. D. X L.

# A V G V S T I S S I M O I N V I C T I S S I M O

Q V E I M P E R A T O R I C A E S A R I C A R O L O V .

*Henrichus Glareanus* S. D. P.



AVD SVM nescius, Inuictissime Imperator CAROLE, quām multorū hominū, etiam eximiē doctorū, graue iudiciū sim subiturus, quod autorem tam præclarum, & in hominū manu tam frequentem, emendandum mihi desumpserim: quibusdam frustaneū laborem esse existimantibus, quod multi & celebres hercle uiri idem negocij tractarint: quibusdam etiā temerariū censentibus, quod nihil uideatur in eo autore reprehensione dignū. Sed utrīscq; (quando id res postulat) respondendū duximus. Primū, scio nos inficias ire non posse, quin multi & præstantes uiri, multa & præclara in eo autore emendarint, studiosisq; utile opere preciū fecerint. Sed h̄dem illi tamen diffiteri non possunt, quin multa indiscussa, dubia, ac mutila reliquerint, posteris diligentius penitanda: quod nobis quoque confitendum. Nam ut nominatim de Antonio Sabellico dicam, homine citra controuersiam docto, siquidem illi, præter annotata paucula quedam, reliqua fuerūt perspecta, nā ille felix omnino mihi censembitur, quando eius codex immensis tot mendis scatebat. **I A N I** Parrhasij annotationes, de quibus in præfatione cōmentariorū in Claudianū mentionem facit, ad manus nostras nō peruererunt, quare de ijs iudicium ferre nequimus. **L A V R E N T I I** Vallæ in quosdam libros uidimus, quę sunt, ut omnia eius autoris, argutæ, doctæ, ac eo dignæ. Nostra certe ætate in hoc autore emendando celebres officinæ librariæ, laudabili per Iouem æmulatione, inter se certasse uidentur, Aldina, Badiana, ac Frobeniana: sed uicit, meo quidem iudicio, longe Frobeniana editio, opera ac diligentia D. B. E. A. T. Rhenani & Sigismundi GELENII, doctorū uiorum fulta. Verū ij tamen pauca de ijs attigerūt, quæ nos antea annotaueramus, nec adhuc edideramus, alioqui nostra delere & supprimere nō dubitassemus. Exemplaria illi secuti sunt uetus, quæ nos quoq; uidimus. Sed quæ ad historiæ emendationē, & pleruncq; ad temporū rationem, Romanorumq; magistratum nomenclaturā pertinebant, ea (nisi fallor) nos diligentius inspeximus, ut lector ipse iudicabit, simul atq; nostra cum alijs conferet, quare neuticq; hunc nostrum post tot eximios uiros laborem frustaneū existimamus. Verumenimvero, quan doquidem multi obstrepunt, temerariū esse quicquā in tali autore uellicare: obuiandum sanè & horum opinioni putauimus, ne audaciæ culpam, aut crimen potius agnoscere uideremur. Primū, cum in confessiō sit, ab historico abesse prorsus debere omne odium, solamq; illi rerum gestarum ueritatem ob oculos ponendam: quām uerē id obseruarit Liuius, uel hinc aestimari poterit. Nam ut de Germanis, Hispanisq;, eximis duabus nationibus taceam, Gallos hercule, gentem omni ætate il-

Iustrem & bellicosam, maxime autem eo tempore, quo Liuiana decurrit historia, nunquam desinit odiose tractare, eleuare, nonnunquam etiam pugnantia de ea dicere, homo in Cisalpina Gallia natus, quod nos in his annotationibus, sed obiter, aliquot locis indicauimus. Deinde si quis ueterem Romani Imperij originem apud Dionysium legat, ac cum Liuiana breuitate comparauerit, uidebit opinor nos haud immerito prætulisse Dionysij curam ac diligentiam, Liuij festinationi: adeo circumspecte omnia Dionysius, adeo negligenter Liuius ea tractasse uidetur. Quod ex Dionysio nos de classibus, Laurentius Valla de Prisci Tarquinij nepotibus reprehendit. Nam de plebis in sacrum montem secessione, de Cn. Martio Coriclano, de Decemuiris, nimium accisam apud Liuium esse historiam, manifestius est, quam ut apud peritos probari oporteat. Iam si quis Herodoto præferat Liuium, quod ille saepius fabulas narrare uideatur, inspiciat quæsuo vel primo libro ab Urbe condita (ut alios interim omittam) Herculis & Euandri colloquium: dein & Caci fabulam: ut nihil dicam de Proculi renunciatione, de Dianæ boue à Sabino immolata, de Brutibaculo, de papaveribus à Tarquinio decussis: an non sunt hæc ijs, quæ Herodotus narrat, perquam similia? Quanquam hæc nō eò pertinent, ut Liuij gloriam his obiectis, quæ forsitan excusationē suscipiunt, eleuari cupiam, quod alijs quoque in libris nostris testati sumus: sed ut lectori ostenderem, non minus magnos autores cum iudicio legendos esse, atq; dubios, ac non ita magnos. Liuius senex historiam scripsisse dicitur, diuersos ac magnos fecutus autores, ut in præfatione ipse fatetur. Non igitur mirum, si & sape memoria labatur, & nonnunquam diuersa, ac propè contraria scribat. Nec me fugit uulgatam esse opinionem, animis hominum penitus insitam, & multis ita persuasam, ut si contra rium dixeris, insanus prorsus uidearis: nempe Romanos historicos longè præferendos in historiæ ueritate esse Græcis. At per me licebit ita perpetuò opinentur qui uolent: mihi sanè neq; Quintilianus in primis grauis autor, neque quisquam aliis, quantumuis subtilis orator, hoc persuadebit, ut Liuium Herodoto æquem, tantum abest ut eundem Liuio postponam. Sed non est opus hic eam rem longius prosequi, in qua plureis habiturus sum reclamatores. Ad rem nostram redeo. Ego pro communi omnium studiosorum utilitate hunc suscepī laborem, non pol gloriæ aucupandæ gratia, qua uia, nostra quidem ætate plurimi grassantur: non carpendi studio, qua siti longè plures nunc crescunt: non denique temerè ac sine iudicio, quod ipsum quoq; pluribus hodie quam dicere uel audeam uel uelim, in usu est. Si lectoris gratiam inde nanciscar, satis præmiū laborum meorum tulero. magis tamen eiusdem fructum ac utilitatem spectauī, ut quo pacto, quo iudicio magni autoris, exemplo Laurentij Vallensis, optimi & doctissimi uiri, legendi sint animaduertat. Non desinit autor magnus esse,

etiam si

CLEMENTISSIMO CAESARI FERDI  
NANDO, BOHEMIAE HVNGARIAE QVE  
Regi &c. Henrichus Glareanus S. D.



EMINI dubium est, inuictissime Rex, id esse in historia temporū rationē, quod solis iubar in sublimi hoc aere. Tolle solem ex hoc mundo, quid aliud nisi confusum relinquetur chaos? Tolle ætatum ac seculorum ordinem ex historia, dij boni quām nihil lucis rebus gestis adfuerit. Qua causa ego motus, cum Liuī historia, ut eminentissima & utilissima, ab omnibus paſsim enarranda fuscipiat, in ea autem temporū ratio mirè claudicet, existimauī operæ precium me facturū, si studiosos hac etiam parte, ut alij nostris operib⁹, pro uirili iuuarem, id quod antea in Dionysij Halicarnassei præclarissimi ac diligentissimi historiographi libris fecimus. Itaq; Chronogiam quandam (eam temporū rationem dicere possis) institui, quā ante aliquot annos Hieronymus Frobenius ac Nicolaus Episcopius, summi amici mei, ac bonarū literarū instauratores, ad Liuī, quod tum excudebant, exemplar, adiici curarū. Pro quo sane labore à multis doctis uiris bene audiui, qui literis ad memissis, ingenteis nobis gratias egere, ac ingenuē, quo sunt candore, fassi sunt historiæ Romanæ maximū accessisse decus ac lumen per huiusce modi cōmentationem, succinentes identidem illud Maronis,

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo  
Argentum, Pariū sue lapis circundatur auro.

Nectamē ego ob id cristas erigere cœpi, quod laudati pauones facere solent, sed magis annifus sum, ac fidelem dedi operam, ut ea denuo seorsum excuderetur, uidelicet ut, qui antea Liuī codices habent, quando non omnibus eundem auctorem bis parare cōmodum est, possent etiam hoc nostro frui labore. Huic autem conatu dexter affuit Mercurius Michaëlis Isingrini industriā, uiri in primis cum eruditum, tum, quod eruditōnem potissimum cōmendat, hominis laborio fissimi in restituendis bonis autoribus, id quod hisce aliquot annis lector ex libris in eius officina excusis facile colligit. De quo rectissimē, secus atque de pluribus nostræ ætatis typographis, Flacci nostri illud dixeris,

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem Cogitat.

Verum ad Chronogiam redeo. Eam ego exorsus à Troia capta, altius repetitis annis, propter eximij uiri, de qua iam dixi, Dionysij Halicarnassei præclarissimam historiam, adieci post Liuī tempora singulis cum consulibus annos ad Iustinianum usq; Cæarem, id quod Cæsiodorus quoque fecit, quanquam codex eius mirè corruptus hodie habetur, quem tamen Gregorius Haloander, uir magna, meo iudicio, industria, multis in locis emendauit. Idem ego in prioribus annis annifus, qui Liuiana continentur historia, nec cum hoc nec cum illo ubique consentiens, quemadmodum nec inter ipsos ubique conuenit. Porro quot locis dissentiam, & quibus autoribus fultus, lector eruditus legendo facile uidebit. Spero autem fore ut optimus quisque confessurus sit, me nec temerē nec sine fructu lectorum hanc post illos suscepisse prouinciam. Simpliciter autem autorum loca ostendi lectori, relinquens illum suo iudicio, nec omnia, quæ poteram, odiose inculcans, nec ubiq; illic tædium euitans, hic ostentationem. Sed hæc obiter de causa quæ nos ad hoc negocium scribendum compulerit, dicimus. Nam de utilitate huius hoc unum admonuero, summè enitendum ac elaborandum, maximē uero autorū classicorū enarratoribus, ut temporis ratio in historia constet. Si enim historia testis est temporū, ut uerè dixit Cicerο, quid absurdius fieri potest, quām ita narrare historiā, ut quid prius, quid posterius gestū sit ignores? perinde atq; uulgas narret fabulas. In hac igitur Chro-